

manu recipit, quod profecto clarissimum signum est pacis mutae et perfectae conjunctionis. Quam ob causam, opinor, dixit Pindarus altae mentis poeta in Olympiis, ode 4: *Cor et manus pari in loco muneroque habenda*, cum hoc ab illis in apertam lucem educatur. Quare ab omnibus jure exigit magnus Paulus, 1 Tim. 2, 8, ut *puras manus* habeant; in Graeco est, *sanctas*; Tertullianus, in Apogetico cap. 50, legit *imocuas*, nimirum a scelere omni immunes, quae ad nullum malum facinus adhibeantur. Eo quoque retulit D. Chrysostomus divinum illud inventum de manibus in precatione attollendis, quod vates pius sacrificii quoddam genus vocavit, Psal. 140, 2: *Eleatio manuum mearum sacrificium vespertinum*. Cujus moris hanc causam reddit, ut nimirum si quando ad scelus et maleficium vocemur, apud nos reputantes sacrum illud mysterium, et futurum ut illas manus ad Deum, *velut advocacione sancturas*, et per illas spiritaliter sacrificium oblaturi simus, vereamur eas ignominia et pudore afficere, et illius praeposteræ actionis luto et colleum maculare. Illam igitur sacræ religionis creacionem vocat, *vitiositatis vinculum*, nequitie frenum, remoram improbitatis. Eodem etiam pertinet illud, Psal. 135, 2: *Extollite manus vestras in sancta*, ubi legit S. Chrysostomus: *Extollite manus vestras sacrificios, sacrosanctas*, hoc est, prout deceat *sanctificatos*, quorum proinde non cor modo animumque, sed manus quoque sacrosanctas et ab omni obscenitate purissimas esse oporteat.

Quibus conformiter sanctus Job tanti mysterii haud ignarus hoc loco *mundas ad Deum preces* vocat, quæ nullâ facie humilium rerum oblitæ sunt, nullis sordibus perturbationum inquinatæ, sed clarissimis evectæ pennis, cœlestes atque divinæ. Illum cursum mundæ orationis David cupiebat, cum rogat Dei dono atque munere dirigi orationem suam *sicut incensum*, hoc est, more modoque thymiatis; quod ex rebus odoratis confectum summus sacerdos in nobilissimo templi adyto foculo imponebat, unde fumus tam directo itinere sursum attollebatur, ut nullius procellæ vi atque turbine ullam in partem flecti posset. Rabbi Kimchi in hunc Jobi locum ait præstantes in suffumigandi arte viros ab Alexandrinâ civitate Hierosolymam evocari solitos, ut suffumigatio sursum recta fieret instar palmæ, neque odorata illa exspiratio hinc illic ageretur. Sed non tam illud humano artificio, quam fieri divino prodigio magni viri suis monumentis prodiderunt.

Significat igitur Job sanctissimus se adhibuisse tantam mentis in orando constantiam, ut rejectis repudiatisque aliis curis et cogitationibus, tota in cœlum atque ad Deum contenderet. Quod divinisimum animi bonum in Gorgoniâ sorore suâ commendat sanctus Gregorius Nazianzenus, orat. 11, ejus ait, in precatione fuisse *mentem minimè vagantem, et sublatam in altum*. Atque illud ipsum olim fuisse Christianorum omnium studium è notis veterum commentariis facile intelligimus. Scitè et eleantur ait

Est pathetica atque elegans sermonis apostrophe ad res mutas sensuque carentes, ut quam in præcedenti versu asseruerat suæ conscientie puritatem iterum confirmet ac roboret; terram enim compellat, atque in testem citat, ac rogat, ut si aliquid eorum, quæ ab Elphazo ei objecta sunt, criminum unquam commiserit, minimè illud occultet, nec celet afflictionem et miseriam, quæ ejus sanguis vitæque consumebatur. Non enim nomine *sanguinis* hic intelligendus est cruor, qui in ejus vena existebat, sed peccatum (pro quo sæpè in Scripturis accipitur, Psalmo 50, vers. 16; Isaie 1, vers. 15; Osee 4, vers. 2; Ezechielis 9, vers. 9, etc.) et afflictio, quæ sit poena peccati; quasi dicat: Velim cœlo et toti mundo notam esse calamitatem meam ejusque causam, ut omnes videant innocentiam meam. Ita Chrysostomus, Polychronius, Olympiodorus in Caleni, qui etiam hoc ad appetitum justæ de hostibus vindictæ referunt; quasi videatur alludere ad sanguinem Abel justî, cujus vox de terrâ ferebatur in cœlum, cum per injuriam fuisset fusus in terram, juxta illud, Gen. 4, 40: *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terrâ*. Ubi, ut bene notat S. Ambrosius, sermone 76, « clamare dicitur sanguis, qui innocens effusus est, non tam voce quam causâ. » Illic quippe sanguinis clamor celarem et atrocem in conspectu Dei vindictam vehementer exposulat, sic enim dicitur peccatum clamare ad Deum; quare *vox sanguinis* idem est quod *fratricidium*. Quem locum eleganter sic expendit D. Ambrosius, lib. 2 de Abel et Cain, c. 9: « Non dixit: De fratris clamor corpore, sed: De terrâ clamat. Et si frater parit, terra non parcat; si frater tacet, terra condemnat; ipsa est in te testis et iudex; testis acrior, quæ adhuc paritidii tui sanguine madet; iudex asperior, quæ tanto scelere coinquinata est, ut aperiret os suum, et reciperet sanguinem fratris tui de manu tuâ. Et illa quidem aperuit os suum quasi acceptura de fratribus verba pietatis, nihil timens cum fratres videret, quæ sciret jus germanitatis amoris incentivum esse, non odii; nam quomodo poterat parricidium suspectare, quæ adhuc non viderat homicidium? Sed tu effudisti sanguinem, cujus dolens ipsa contagium, non augebit virtutem suam dare tibi. Non mediocre etiam dogma quod ait: *Vox sanguinis fratris tui ad me clamat*, quia Deus justos suos audit etiam mortuos, quoniam Deo vivunt. Et merito pro viventibus habentur, quia etiam si corporis gustaverint mortem, vitam tamen incorpoream capiunt, et illuminantur suorum splendore meritorem, luce quoque fruuntur æternâ. » Sic Ambrosius ejus quot verba tot sententia contra Caini parricidalem inhumanitatem, et pro commendandâ fratrum concordia et justorum funeribus celebrandis. Simili igitur modo mens Jobi sic exprimi posset, ac si dicat: Nolo terra mox absorbeat sanguinem meum tabernæ decurrentem; habet quippe sanguis innoxii hominis, licet corruptus ac foetius, vocem suam, quæ in cœlos effertur, et sanguinem Christi, *melius clamantem* quam Abel, nempe misericordiam, non vindictam. (Menochius.)

judicis officium implorat. Nolo ergo vox hæc sanguinis mei terræ visceribus condatur; nolo sanguis meus clamandi peritus præfoetur in terrâ, sed in cœlos celerrimo volatu penetrat. Ibi enim habeo testem, hoc est, spectatorem perspicacissimum animi mei, bene conscium meorum affectuum, quem in terra nefariè accusatus appello. Quæ verba mirum ægrè affecti animi significatum produunt, quandoquidem res inanimas compellat, quas innocentia asseritices invocat.

Allegoricè S. Gregorius, lib. 15 Moralium, cap. 8, id refert ad sanguinem Christi melius quam Abel clamantem misericordiam, et non vindictam: « Sanguis, inquit, Jesu melius loquitur quam Abel, quia sanguis Abel mortem fratricidæ fratris petiit, sanguis autem Domini vitam persecutoribus impetravit. Ut ergo in nobis sacramentum Dominicæ passionis non sit otiosum, debemus imitari quod summum, et prædicare cæteris quod veneramus. Locum enim latenti clamor ejus in nobis invenit, si hoc quod mens crederet didit lingua tacet; sed ne in nobis clamor ejus lateat, restat ut unusquisque juxta modulum suum vivificationis suæ mysterium proximis innoscat. » Sic ille.

Hunc eundem locum Philippus Presbyter etiam de Christo accipit in hæc sententiam: « Nunquam rerum terrenarum amor ita hominum mentes obruit, et ut hujus tanti beneficii memoriam curarum suarum mole sepeliat, sed super omnia in corde nostro emineat quod summum est. »

Nota hunc locum pro concionatoribus, quorum munus est prædicare Christum, et hunc crucifixum; nihil tam frequentè, acri ac vehementi studio versare et inculcare debent quam Domini Jesu passionem, cujus in figurâ Raab ad fenestram appendit cocineum filum, de quo sic S. Ambrosius, lib. 5 de Fide, cap. 5: « Quæ in excidio civitatis remedio desperaret salutis, quia fides vicerat signa fidei, atque vexilla Dominicæ passionis attollens, cocineum in fenestrâ ligavit, ut species cruoris mysticæ, quæ foret mundum redemptionem, vernaret. Ita foris Jesus nomen fuit præstantibus ad victoriam, intus species Dominicæ passionis periclitantibus ad salutem. » Sic ille. Rubescat ergo vox totumque os in concionatore Christi Domini sanguine. Hæc est enim illa oris venustus, quam tantoperè commendabat in sponsâ divinus Spiritus, Cant. 4, 5: *Sicut vitæ cocineæ labia tua*.

VERS. 20.—ECCE ENIM IN CÆLO TESTIS MEUS, ET CONSCIUS MEIS IN EXCELSIS (1). Postquam terræ et mortaliū in eâ habitantium accesserit testimonium, cœlum ipsum, vel potius cœlorum Dominum et habitatorem,

(1) Vers. 20. *Car le témoin de mon innocence est dans le ciel, et celui qui connaît le fond de mon cœur reside en ces lieux sublimes*. Job ne craint pas d'attester la terre, afin qu'elle rende témoignage à son innocence, étant assuré que Dieu même lui en est témoin. Car c'est comme s'il disait: O terre, prend garde de ne pas cacher aux hommes mon innocence, puisque j'en ai un témoin irréprochable dans le ciel, qui est Dieu même. Ce qu'il assure très-hardiment parlant par le même Esprit de Dieu qui avait dit au démon avant qu'il le lui livrât pour être tenté: *Que Job n'ait point d'égal sur la terre*. (Sacy.)

suae innocentiae testem invocavit, nempe Deum, quasi elevatis, uti fœssè verosimile est, in caelum oculis diceret: Si forte alium testem existigis, ecce in caelis qui pro me respondebit ac testificabitur, ille videlicet, qui in altis habitat, et humilia respicit in caelo et in terrâ, Ps. 112, 5. Per periphrasim autem vocatur Deus *caelum habitator*, unde omnia prospiciat, et omnia in terrâ habitantium hominum actus discernat. Et hic est honoris titulus quo utitur Psalmista, ut ostendat nullum posse à Dei lumine abscondi, sed omnia impiorum opera nuda esse in oculis ejus, cum ait, Psal. 2, 4: *Qui habitat in caelis iridebit eos*, etc.; item, Psal. 122: *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in caelis*. Quamvis autem Deus sit ubique, dicitur tamen in caelis habitare, tum quia gloria ipsius ibi potissimum elucet, tum quod inde ad modum concipiendi nostrum tanquam ex altâ turri quidquid hic agitur, contemplantur. Et scribit Aristoteles, lib. 1 de Animâ, cap. 5, quasi à naturâ insitam fuisse hominibus opinionem, Deum in caelo habitare, unde illud tam frequens apud Graecos: *Superique habitator olympi*; sed et tradita nobis à Christo Domino oratio sic incipit, Matth. 6, 4: *Pater noster, qui es in caelis*. Verbis ergo illis: *Ecce in caelo testis meus*, ostendit vir planè fortissimum spem inter procellas immotam uti anchoram tutam et firmam, et (quod est mirabile) caelos ipsos penetrantem; quasi Deus ipse Jobi innocentiam propriâ auctoritate testaretur. Et quidem novum non est, sanctorum innocentiam ab improborum calumniis divino testimonio vindicari, seu divinam auctoritatem ad manifestandos justos, et à tenebris, quibus involvuntur, eruenados interponi; vir itaque sanctissimus, cum cum falsi amici fictis calumniis lacrerent, à quibus se eripere non poterat alioquinus humani testimonii praesidio, jure merito confugit ad divinum; quasi diceret, inquit Polychronius in Catena: Dei iudicium appello; is enim, cum perfectè cognoscat omnia, neque ex his qua videntur, sed ex solâ veritate sententiam ferat, eorum qua à me dicuntur testis esse potest. Nec sua Jobum spes fecellit, nam statim Deus ad improbos illos calumniatores, cap. 42, 7: *Non estis, inquit, locuti coram me rectum, sicut servus meus Job. Ne ad servum meum Job, et offerte holocausta pro vobis; Job autem servus meus oravit pro vobis; faciem ejus suscipiam, ut non vobis imputetur stultitia*. Ubi duo observa, inprimis, Jobum vocari sapientis Dei servum, qui paulo ante à calumniatoribus Dei hostis dicebatur. Quod rectè expendit D. Chrysostomus: Identidem, inquit, Deus Jobum servum suum appellat, ut ostendat eum sua egregia facinora commemorantem, esse vera locutum, amicos autem, qui illum condemnarent, haud vera dixisse. Deinde observa ex Olympiodoro Jobum à Deo constitui patronum ac deprecatorem suorum calumniatorum, ut intelligeret ipsi calumniatores quanta esset apud Deum Jobi auctoritas, qui illum vehementer iratum serenaret; et quanta esset Jobi benignitas etiam in adversarios, qui pro illis apud Deum precarentur; unde factum est, ut viri probitas, qua falsis calumniis late-

bat, divino testimonio in apertam lucem traheretur. Eodem modo Deus inter Cainum et Abrahæm diducavit. Quis non crederet Caini hostiam, sicut tempore prior fuerat, ita fuisse animo perfectiorum? Ex hæc autem opinio quis non videt, quam in caligine Abrahæ sanctitas versaretur? Quid ergo Deus? Adfuit statim factorum testis et arbiter. Nam Abel, inquit D. Paulus, Heb. 11, 4, *testimonium consecutus est esse justus, testimonium perhibente muneribus ejus Deo*; ac si diceret: Opus fuit ut major Abrahæ virtus, que in animo latebat, divino testimonio foras prodiret. Murmurârunt olim contra Moysen Maria et Aaron, ad quos statim Dominus Moysi innocentiam testatur, dicens Num. 12, 7: *At non talis servus meus Moyses, qui in omni domo meâ fidelissimus est, etc.* Ubi Rupertus, lib. 4, cap. 34: «Nullo modo, inquit, Moyses seipsum defendebat; et hoc pacto quasi legitima causâ defensorem sui Deum magis tacendo constatuebat. Nam Deus etiam non requisitus sanctorum innocentiam proprio testimonio tuetur. Dominum ergo testem ac laudatorem nostrorum operum requiramus, homines verò nec vituperatores timeamus, nec laudatores auscultemus. Omnis qui ex eo quod agit, in terra quaerit; qui autem de actibus suis omnipotenti Deo placere festinat, testem se in caelo habere considerat.»

VERS. 21. — VERBOSI AMICI MEI: AD DEUM STILLAT OCELLUS MEUS (1). Per apostrophen convertitur ad amicos, quos irrisorie vocat *verbosos*, iterum eis de nimia loquacitate pungens, atque una voce completens id quod aufer dixerat, eos nugis tantum ventosisque sermonibus delectari. Unde patet omnium optimè interpretem reddidisse vocem Hebraeam *וַיִּזְדַּמְדַּם*. Friget enim aliquantulum versio Vatabli simpliciter reddentis: *Collocutores mei*; similiter ea Pagnini et Tigurinae, qua habent: *Rhetores mei*; nec ad rem facere videtur illa Montani, Burgensis et Complutensium: *Interpretes mei*. Non enim hic arguit Job amicos, quasi in deteriore partem verba sua interpretentur, licet verissimum sit, sed potius, quod nullo verborum aut rationum pondere valentibus tantum sermonibus sibi illudere delectentur.

Notanda hic illa phrasid: *Ad Deum stillat ocellus meus*. Quamvis enim stillare aptè conveniat oculo lacrymabundo, aliquid tamen amplius hoc loco connotat quam fletum simplicem, nempe metam quandam locutionem, et mentalem cum lacrymis ad Deum orationem, q. d.: Deum alloquitur ocellus meus, per lacrymas videlicet, qua verba efficacissima sunt, et legatione pro nobis funguntur apud Deum, ut credit ille qui dixit, Psal. 58, 5: *Auribus percipe lacrymas meas*; qua, nisi verba essent, auribus minime perciperentur. Hic sermo vivus et efficax, quo utendum, ubi mortaliu auxiliâ desunt, aut verba nocent. Adde quod phrasid Hebraicâ stillare sæpè pro loqui

(1) LACRYMAS FUNDO CORAM DOMINO. (Menochius.)
AD DEUM STILLAT OCELLUS MEUS, id est, cum lacrymis clamo. (Tirinus.)

stuntur, ut apud Michæam, quod in fonte est: *Ne stilletis stillantes*, interpretis noster vertit: *Ne loquamini loquentes*; cui amicus S. Hieronymus: «Aquila, inquit, interpretatus est: *Ne stilletis stillantes*, quodam idiomate Hebraico, eloquium, ab eo quod fluat, et ad aures perveniat audientium in similitudinem pluviae descendens, stillationem vocans.» Similiter apud Ezechielem pro: *Prophetare*, dicitur: *Stilla ad Africam*, Ezech. 26, 40; item ibid. 21, 2: *Stilla ad sanctuaria, et propheta super humum Israel*; sicut et in Amos, cap. 7, 26: *Non prophetabis super Israel, et non stillabis super domum idoli*. In quibus locis amarum quid et terribile praedicandum verbisque annuntandum praese fert, sed aliquando benignam, suavem et fluidam eloquentiam denotat, velut infra, cum dicitur, e. 29, 22: *Super illos stillabit eloquium meum*. Cujus schematis similitudo exprimitur in illo Deuteronomii, cap. 32, 2: *Fluat ut ros eloquium meum, quasi imber super herbam, et quasi stilla super gramina; quia nomen Domini invocabo*. Itaque Job asserit se flohili quadam voce ad Deum humiliter, benignè suaviterque locutum fuisse, vel ab eo aliquid postulasse, eo prorsus modo quo mater Samuelis prophete effudit aliquando animam suam in conspectu Domini, etsi vox ejus penitus non audiebatur.

VERS. 22. — ATQUE UTINAM SIC JUDICARETUR (1) VIR CUM DEO, QUOMODO JUDICATUR FILIUS HOMINIS CUM COLLEGA SVO. Utinam, inquit, Deus in hac causâ disceptandâ illum sequeretur ordinem, quem homines in suis de more iudicis exercendis observant; qui rationes hinc inde conferunt, et esaque iudicibus expendendas proponunt, qui sive ad constituenda praemia, sive ad imponenda supplicia, mensuram aliquam habent à lege constitutam! Quasi dicat: Possem faciliò meam causam probare et justificare. Verùm non sic apud Deum se res habet, qui supra leges est, neque semper punit ut iudex, sed interdum exercet et probat ut pater, quique quos magis amat severius affligit. Judicatur itaque cum Deo, aut nostram cum illo causam disceptamus cum precibus et lacrymis, non ad morem forensis strepitus cum praemeditatis rationum ac cavillorum argutis; sic nimirum vir cum collega suo et compare argumentari solet, ut ratio rationem, et vim vis opposita depellat, et veritas tandem ex argumentorum congressione se prodât. At cum Deo longè aliter. Neque Deus eodem semper modo veritatem pronuntiat, quo homo absoluto iudicio ita ut omnes intelligat, quid Deus maxime aut velit aut probet externo aliquo signo. Et hoc videtur voluisse Jobus, dum eâ ratione iudicari cupit cum Deo, id est, iudicium subire Dei, quâ homo mortali iudici causam suam disceptandam permittit, qui per praeconeum, aut publicâ aliquâ atque legitima formâ, quod aequum sit, aut secus, pronuntiare solet; sperabat enim, fore ut Deus longè aliter, quam amici illi

(1) UTINAM JUDICARETUR I SEU, utinam posset iudicio contendere, seu pari jure litigare, quasi dicit: Possem faciliè meam causam probare et justificare. (Tirinus.)

verbosi atque onerosi consolatores, de causâ statueret, et ostenderet longam vexationem non esse scelerum supplicium, sed fidei atque patientiae probationem, cum nullis sibi culpe conscis esset. Ut enim scelerum conscientia languidos reddit robustorum animos, sic ubi hæc abest, audaces reddit innocentes, et ita constantes, ut cum Deo ipso congressi non recusent. Quod hic Jobus optare se dicit. Sanè verum est quod Horatius eecinit, lib. 4, epist. 4, bonam conscientiam instar muri aerei esse, qui homines securos esse jubet, quantumcumque hostis premat:

Hic murus aeneus esto,

Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.

Hæc explicatio est Sancti nostri, et mihi omnium placet maxime. Neque tamen illorum expositio displicet, qui Jobo id in votis esse putant, ut causa hæc à Domino iudicaretur eo tempore, quo adhuc superest habitus, et potest utilis esse disceptatio, neque ad illud differat tempus, in quo non licet viam illam repetere, quam senal confecti neque gressus corrigere, quos extra legem et orbitam instituit. Quia explanationi bellè assonant quæ proximè sequuntur.

VERS. 23. — ECCE ENIM BREVES ANNI TRANSEUNT, ET SEMITAE PER QUAM NON REVERTAR, AMBULO (1). Est familiare visus praesentim piis ac sapientibus, moris horâ imminente graviter, sanetè et appositè loqui, cum jam se coram iudice sistendos cogitent, noluntque ullius culpe rei peragi, quam in hac vitâ non expiârnt. Quocirca cum Jobus mira de se dixisset, qui inquis aestimatoribus parum probari novit, subdit se non inconsultè illa protulisse, sed praemeditatò, eademque nunc demum confirmare eo sensu ac maturitate, qua deceat virum plium suæ salutis cupidum, qui mortis nuntio jam vocatur ad tribunal, ubi sit rerum verborumque rationem redditurus. *Ambulo*, inquit, *semitam*, per quam non revertar, hoc est, eò gradior, unde non regrediar. Videtur autem Jobus hac ipsâ oratione velle Dei clementiam urgere, ut maturet ei benefacere, qua infinita bonitatis propensio est; habi tempus, pauloque post non fore in hac vitâ Jobum, quem afflictum recreet, qui insonti optuletur.

In Hebraeo est: *Quia anni numeri adveniunt*, id est panes et breves; quo sensu Sirach dixit, Eccli. 17, 2: *Dies numeri dedit eis, id est, panes, qui nempe numeratu faciles sint*. Unde Septuaginta hic transtulerunt: *Anni autem numerati venerunt*. Posterius autem hemistichium in futuro sic expresserunt: *Vivâ, per quam non revertar, ambulabo*. Innuit autem viam universæ carnis, quâ nemo revertitur, secundum naturam scilicet, et secundum statum praesentem; non miraculose nonnunquam aliqui reversi sunt; et omnes in resurrectione ad carnam revertentur, ut pro meritis quisque suis prout in eâ se gessit recipiat.

(1) Eadem videtur ratio, quam supra attulerat, cap. 14, numero 5, cum dixit: *Dreces dies hominis curâ, numerus mensium ejus apud te est, recede paululum à me, etc.* Non enim mirum, si frequenter eadem repetat, et dolores subinde deprecetur; qui enim infortunio aut morbo aliquo vexantur, frequenter eò sermonem referre solent. (Menochius.)